DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

VENÆ SECTIONIS UTILITATE IN GRAVIDIS,

MEDICAL SOCIETY LONDON

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXX. D. OCTOBR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR RESPONDENS

JOHANNES CHRISTIANUS BARTHOLOMÆI,

MARTISBURGENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.

NOn dubito fore pleroſque, quibus mirum videbitur, me, cum publicum aliquod diſſertationis ſpecimen evulgare animo conſtitutum habeam, materiam potiſſimum elegiſſe, quæ nota ſatis atque cognita eſſe videtur, & de qua tot celeberrimorum Virorum ingenia ita jamjam deſudarunt, ut vix aliquid, quod non dictum ſit prius, addi poſſe videatur. Attamen ſi rem omnem paulo accuratius perpendo, grave quoddam momentum ſupereſt, quod ſolum, non obſtantibus antea commemoratis rationibus ad hoc thema pertractandum me impulit. Nimirum

cum ars noſtra, quæ de ſanitate hominum præſervanda, &, ſi in deterius præcipiti caſu ruat, etiam reſtituenda ſollicita eſt, hoc præ cæteris peculiare habeat, ut ſemper illud ſeligat, quod utiliſſimum eſt atque tutiſſimum; ita quoque ad hujus artis, quam profiteor, normam de medicamento quodam verba facere volui, quod rite applicatum, & cum circumſpectione celebratum virtutem ſuam cito, tuto, jucunde exhibeat. Ratio autem cur aliquibus præſertim morbis, qui utero gerentes divexare ſolent, applicaverim, hæc eſt: quoniam mulierculæ illæ maximum inde levamen percipiunt, & quoniam ob conſtitutionem plethoricam non minus, quam ob fluxum menſtruum graviditatis tempore retentum, variasque moleſtias creantem hoc medicamine vix egere poſſunt. Faxit Deus O. M. ut omnia felici ſucceſſu procedant.

I.

UT ordine procedam, ante omnia neceſſarium erit definitionem quandam ſuppeditare, quæ hæc eſſe poteſt. Φλεβοτομία ſeu Venæ Sectio eſt operatio e fonte Chirurgico petita, qua ſanguis

guis per venam duplici inſtrumento vel in vernacula, Flitte, vel Lancetta Italis dicto, contuſam, & inciſam emittitur. Hæc itaque Venæ ſectio notiſſimi atque frequentiſſimi uſus eſt, noſtro imprimis ævo valde familiaris, ad abundantiam præcipue ſanguinis diminuendam, & multiplicia inde proficiſcentia ſymptomata amolienda, hoc fiat vel in ipſis morbis curandi, vel ſano adhuc corpore præſervandi ſcopo. In utroque ſexu adhiberi ſolet, & utilitatem, quæ non fruſtra ſperatur, cum ſummo levamine præſtat. Manet itaque atque manebit in valore ſuo, quam diu erunt Medici atque Chirurgi, qui eam juſto tempore & cum circumſpectione rite celebrabunt, quanquam *Helmontius de febr. cap. 4.* illius uſum rejicere, & plane amovere omnem impendat operam, cujus argumenta, ſi inſtituti mei ratio id poſceret, facili refutare poſſem negotio. Attamen cum ex hiſce momentis, quæ jamjam in medium proferenda ſunt, tanquam ex effectu eluceſcet quam clariſſime, quantos & quam graviſſimos morbos Venæ ſectio curaverit, hoc ego labore ſciens volensque omitto.

II.

Quemadmodum autem ex effato Hippocratis omnis fœmina morbum bis patitur, & partim ob negotium menſium in genere, partim vero graviditatis tempore tot ac tantis morbis obnoxia eſt, qui ſoli etiam experientiſſimo Medico non parum negotii faceſſant; ita ego imprimis ad affectus illos gravidis præſertim ſolennes me converto, quatenus nimirum Venæ ſectione aut præcaveri, aut ſi adfuerint, tolli

poſſunt. Ne quis autem in eam adducatur ſententiam ut credat, hoc inſtitutum ab Auctoribus artis medicæ non eſſe tractatum, ille Virorum celeberrimorum teſtimonia, quæ huic operam dederunt, fugitivis ſaltem oculis perluſtret, & largam ibi obſervationum ſegetem inveniet. Quodſi evolvamus Breßl. Geſch. *& quidem 17. Vers pag. 86.* aperte ſatis deprehendimus Venæ ſectione Aphoniam curatam fuiſſe. Ibidem quoque agitur de Epilepſia fœminæ graviditatis tempore familiari, quæ ſola ſanguinis miſſione quam optime ſublata fuit. Neque Hippocrates, uti quidem plurimi ſibi perſuadent, illam in gravidis prorſus rejecit, ſed *L. I. d. morb. mul. Sect. V. p. 623. in edit. Foeſ.* ita inquit: *Quodſi prægnans diutius immoretur & parere non poſſit, ſed pluribus diebus partus doloribus discrucietur, ſit autem juvenis, & ætate florens, multoque ſanguine redundet: venas in malleolis ſecare oportet, & virium habita ratione ſanguinem detrahere.* Equidem probe ſum gnarus multos eſſe, qui hunc librum Hippocrati adſcribere dubitarunt, tamen *Maur. Cordæus* in ſuis ad hunc librum *commentariis*, omne ferme dubium ſolvit, uti hoc videri poteſt apud *Zacut. Luſitan. M. P. H. L. I. Hiſt. XXXII. Quæſt. XXII.* Porro de utilitate Venæ ſectionis in gravidis legi poteſt. *Illuſtr. Stablius de Morb. Gravid. & de Abortu ac fœtu mortuo. Celeberrimus Hoffmannus in Med. Conſult. Part. IV. pag. 324.*

III.

Priusquam igitur fuſius de hac re verba faciam, ante omnia diſpiciendum mihi atque indagandum erit, quinam graviditatis menſes, ſanguinis miſſionem

nem tutiſſime admittant. Quodſi perluſtremus *Joh. Raph. Moxium Gerundenſ. d. Method. medend. per V. S.* morbos mulierem acutos, ille *L. II. c. 21. pag. 536. ſeqq. & c. 23. p. 548.* a quarto ad ſeptimum usque menſem illam inſtitui poſſe autumat. Eandem cum illo opinionem fovet *Mich. in Prax.* & ſupra dictis menſibus venam ſine detrimento ſecare ſuadet. Cui opinioni *Rodericus a Caſtro* album quoque adjicit calculum. Interim noſtris quidem temporibus certi cujusdam & determinati temporis rationem habere non poſſumus. Non ſolum enim experientia edocemur etiam paucis ante partum diebus Venæ ſectionem celebrari ſolere, ſed noſtrarum etiam muliercularum conditio hoc nobis ſuadet. Nam cum optimis quotidie cibis ad nauſeam usque veſcantur, & generoſiſſimo ſimul potui indulgeant, non poſſunt non ſanguinis abundantiam ſibi contrahere. Idcirco etiam brevi ante partus excluſionem tempore vena illis pertundenda eſt, ne Hæmorrhagiæ metum ſubeamus, atque parturientem dubio eventui relinquamus.

IV.

His itaque præmiſſis in ſcenam prodit ferax illa tot periculoſorum in gravidis ſymptomatum mater Plethora. Hæc, niſi tam crebro etiam optimum illarum fœminarum ſtatum depravare poſſet, quid quæſo tam frequens mittendi ſanguinis commendatio, quid denique laus opus foret. Verum rebus ita comparatis ſtatim ad Venæ ſectionem tanquam ad ſacram anchoram nobis confugiendum eſt. Solus abortus metus cui non metum incutit? & tamen alio

quo-

quodam medicamento æque feliciter vix præcavetur, quam ſi ſanguini intus turgenti via aperiatur, ut qua data porta ruere, intusque relicto locum & ſpatium concedere poſſit. Hoc jam annotavit induſtrius ille atque ſedulus *Dan. Sennert. L. IV. Sect. V. c. 3. d. curat. gravid. in gen.* ubi non obſtante Hippocratis effato: *5. Aphor. XXXI. p. m. 516. Mulier in utero ferens ſecta vena abortit, eaque magis, ſi grandior ſit fœtus.* Tamen Venæ ſectionem commendat, ſi nempe a nimio ſanguine abortus metuendus ſit. Quanquam enim, uti ille Senn. autumat, ad nutritionem fœtus ſanguis maternus pertineat, quo in utero mediante funiculo umbilicali alimentum ſuum accipit, & quanquam, præſertim ultimis geſtationis menſibus, plus requiratur ad ſuſtentandum embryonem; tamen ſi abortus immineat, & plethora conjuncta ſit, ſanguinem mitti debere ſtatuit; ſed in minori copia & repetitis potius vicibus, ne uno impetu tantum ſanguinis effluat, quantum matri, & fœtui noxam afferre poſſit. *Riedlin. Lin. Med. Ao. MDCXCV. Menſ. Apr. obſ. XII.* aliam addit rationem, ob quam Venæ ſectionis uſus ſumme ſit neceſſarius. Nempe dari quam plurimas, quibus menſes graviditatis tempore fluerent, atque ita vias partus nimium lubricas fieri, quod nulla methodo melius inhibeatur, quam Venæ ſectione per vices inſtituta; quippe quæ ſanguinem illuc tranſeuntem reducendo gravidas abjectum partum edere non patiatur.

V.

Ejusdem matris ſoboles, quæ prægnantes infeſtare ſolet, Hæmorrhagia eſt tanta interdum vehemen-

mentia invadens, ut inter vitam mortemque dubiæ, quid ſtatuendum, quid agendum neſciant. Sanguis enim vaſis ſuis tanquam carceribus incluſus, neque ſua ſede contentus tandem ad viam illam conſuetam, ſingulisque menſibus repertam tendit. Ibidem maxima vi ſummoque cum impetu exitum tam diu molitur, donec pandantur fores, quibus apertis niſi Venæ ſectio inſtituatur, aliaque via monſtretur, ægræ de vita ſua maximopere periclitantur, fœtusque, quos edunt, debiles atque ſemimortui exiſtunt. Teſtimonium hujus rei exhibet jam citatus *Riedlin. Lin. Med. Ao. MDCXCVII. Menſ. Apr. obſ. VIII. p. 223.* ubi fœminam quandam octavo ſemper menſe hæmorrhagiam uteri perpeſſam Venæ ſectione adeo felici eventu priſtinæ reddidit ſanitati, ut illa iterum facta gravida ne guttam quidem ſanguinis profunderet, ſed fœtum inſuper excluderet, quam optime ſanum atque robuſtum. Conferatur etiam *Roder. a Caſtr. de morb. mul. L. III. Sect. II. cap. XVIII. Primo*, inquiens, *ſi copia adſit, & patiens juvencula ſit, ſanguinea, & abortiri conſueta; ſanguinis miſſione ex bracchio utendum eſt.* Hinc facile patet ratio, cur ſanguis per inferiora ſibi viam parans, ſine ulla noxa revocari & abduci poſſit. Nimirum ita eſt conſtructa corporis noſtri machina, ut vaſa inter ſe mutuum alant commercium, ſi itaque in parte quadam, loco illi ubi hæmorrhagia orta fuit, oppoſita ſanguini per ſectam venam liber effluxus conceditur, connexionis vinculo ille viam illam, per quam antea meabat, rurſum deſerit. Uti hoc luculentiſſime apparet in machina hydraulica, cui ſi nimia

aquæ quantitas ineſt, quæ ad latera canalium premente vi impingit, non raro ſibi exitum quærit, qui hac in parte nullo modo melius abducitur, quam ſi alio quodam loco canalis de induſtria aperiatur, ad quem poſthac maximo niſu, omne fluidum, quod huc usque abundaverat, transmittitur, relicta priori via, quam ſibi ſua ipſa mole preſſum perforaverat. Hoc pari ratione in vaſis noſtri corporis accidit, ubi ſanguine per inciſam aut contuſam venam emiſſo vacuum, quod datur, uno quaſi momento denuo expletur; & ſic a loco hæmorrhagia affecto abducitur, quod antea ob vaſorum repletionem atque diſtentionem fieri non poterat.

VI.

Interdum quoque præſente Plethora ob uteri molem atque diſtenſionem vaſa adjacentia ita ſunt coarctata, ut irrito conamine hæmorrhagia intendatur. Quare præcluſis hiſce canalibus ad centrum illud, ex quo protrudebatur ſanguis recurrit, cumque major illius copia cordi infunditur & per pulmones poſtea venæ pulmonalis ope in ſiniſtrum transfertur ventriculum, hic omnino majori Syſtole opus eſt; quoniam in Diaſtole nimiam ſanguinis quantitatem cor receperat. Id circo vis illa cordis elaſtica ſeu pulſus præter naturam auctus vera mihi cauſa palpitationis eſſe videtur. Cui ſi indicatum, quod prompte auxilium præſtet, opponi debet, profecto nullum erit melius, quam Venæ ſectio juſto tempore inſtituta. Hoc probe obſervavit *Roder. a Caſtro de Morb. mulier. L. III. Sect. II. cap. XIII.* ubi inquit: *Deinde ſi copiam*

piam tetri ſanguinis, a qua plerumque fit, adeſſe conjectura conſequamur, ſanguinem ſemel mittere, opus omnino erit. Et *Mich. Prax. Clin. Part. I. L. V. de morb. mulier. Tit. XI.* autumat, ſi a ſanguinis copia, quæ futuri abortus ſignum utplurimum eſt, proficiſcatur, tunc Venæ ſectionem inſtitutam optimam medelam præſtitiſſe.

VII.

Neque ſemper gravia prægnantium ſymptomata immediate a copia ſanguinis deduci poſſunt; ſed qualitas ipſa abundantiæ atque turgeſcentiæ juncta, aliquid contribuere videtur. Nauſea, atque vomitus tanquam res gravidis perquam familiares, argumenti loco eſſe poſſunt. Pauciſſimæ ſane deprehenduntur, quæ ab horum inſultu graviditatis tempore immunes exiſtunt. Attamen reſpectus utique habendus eſt, qua vi atque violentia invadant, ſi mitius ſeſe gerant, ego ipſe venæ ſectionem ſtatim inſtituendam diſſuadeo. Quodſi autem præſertim vomitus nimis vehemens, & quaſi concutiens ſit, ex ſequentibus rationibus ſanguinem mittere nos oportet. Notum ſatis eſt, atque cognitum graviditatis tempore, utplurimum menſtruam purgationem ceſſare, quoniam ad nutritionem fœtus ille ſanguis impendi debet. Sicuti itaque nobilior tantum ejus pars in embryonis alimentum convertitur, ſic vilior portio reſtat, quæ indies magis magisque aucta in ſummam depravati, atque vappeſcentis ſanguinis molem accreſcit. Quare niſi huic Plethoræ corruptæ & per ſe ægre mobilis, (quia nimirum defœcata & optima pars ad nutritionem fœtus abſumta eſt) venæ ſectione aliquid detra-

hitur regurgitationes, & infarctus circa venam portæ oriuntur, quæ ſicuti cum ventriculo arctiſſimam quaſi cognationem habet, dum illi a ramo ſuo ſplenico dicto gaſtricam minorem, & majorem, quæ coronariam ventriculi conſtituit largitur, item poſt diviſionem a ramo ſuperiori videlicet ſplenico ſic dictum vas breve, a ramo vero inferiori ſplenico gaſtroepiploicam ſiniſtram donat & a ramo dextro venæ portæ ante diviſionem gaſtroepiploica dextra abeat, *Conſer. Barthol. Anat. in Libell. 1. de venis cap. 3. & Verheyen Anat. Tract. I. tab. 39. & Tract. II. cap. IX. de ventric,* quilibet facile animadvertit, extenſo utero vaſa, quidem ejus extendi, & in majorem capacitatem elevari, uti hoc Bartholin. citato loco obſervavit, ſed illa vaſa quæ cum ventriculo communicationem habent, ut & alia utero propinqua maxime comprimi, tunicas ventriculi irritari, atque ita vomitum cieri. *Roder. a Caſtro de morb. mulier. L. III. Sect. II. cap. XI.* fruſtra adhibitis medicamentis e fonte pharmacevtico petitis affirmat venæ ſectionem præſentaneam attuliſſe opem his verbis: *Si neque his ſedetur, ſanguinis miſſio ex communi vena ſecure, & cum maximo patientis emolumento exerceri poteſt, idque mihi multis experimentis probatum eſt.* Ex *Dolæus Encyclop. Med. dogmat. L. V. de morb. mulier. cap. VI. de gravid. ſymptom.* in vomitu venæ ſectionem ſequenti modo commendat: *Ex Chirurgico fonte primo ſe offert Venæ ſectio, quam mediis menſibus adminiſtratam admittimus, quæ maxime abortum præcavet.* Ex quibus ultimis palam eſt, vomitum gravidarum plerumque a ſanguine quodam in vaſis cum utero connexis hærente, ob

copi-

copiam ſuam turgeſcente dependere. Niſi enim ſenſus verborum talis eſſet, quid in vomitu abortus metus neceſſarius efforet. Quia vero maxima illa ſanguinis vis, quæ præſertim in ventriculo vomitus exiſtit cauſa, violento niſu facile hæmorrhagiam excitare valeret, ideo venæ ſectione detrahenda, atque minuenda eſt.

VIII.

Ob explicationis analogiam non immerito huc referri poſſe Picam ſive Malaciam multis prægnantibus ſolennem arbitror. Cum enim a male comparato ſanguine, qui ad nutriendum fœtum ineptus erat, etiam ventriculus vitium quaſi & labem contrahat; hinc ex parte inordinati illi appetitus, atque inſolitarum rerum deſiderium venire videntur. Quibus ſimul accedunt animi mœrores, & uteri ipſius varii generis affectus. Qui ultimi non ſolum hepar, atque lienem ſed potiſſimum etiam ventriculum ob conſenſum, qui illi cum utero intercedit, male afficiunt, ut cibum potumque ita in ſuccum & ſanguinem convertere non poſſit, uti quidem neceſſe erat, hinc liquor ille gaſtricus valde adulteratur, & ipſum ventriculum, ad quævis incongrua ingurgitanda ſtimulat. Quare Malaciam ſtatuunt eſſe longe mitiorem ex appetentia acidarum & auſterarum rerum, quoniam, ſicuti in aliis hominibus cæteroquin ſanis accidere ſolet, ut ventriculo nimio potu debilitato ſtatim ad priſtinum tonum, & robur perducatur, ſi poſtero die jejuno ſtomacho acida quæcunque ſumantur, etiam in gravidis deſtructum ex vitio ventriculi & de-

pravatum appetitum eo citius reduci poſſe autumant, ſi ad alimenta acidi, atque auſteri ſaporis ferantur, utpote quæ roborando, & heterogeneas partes ſenſim collectas ſolvendo quaſi priſtinæ ſuæ vivacitati, atque ordinatæ appetentiæ ventriculum reddunt. Quodſi itaque a male conſtituto ſanguine, & nauſeabundis exhalationibus ab eodem provenientibus ortum trahat Malacia, quidni venæ ſectio inſtituatur, ut aliqua parte tetri ſanguinis educta, quod reliquum eſt, eo commodius per tranſpirationem, ſudores, urinam, fæcesque alvinas e corpore eliminari poſſit. Hoc ſuadet *River. Prax. Med. L. IX. cap. 3. de Pica.* Ne autem alicui mirum videatur maſſam ſanguineam adeo inculpari, ac ſi in gravidis prorſus in deterius mutata nihil niſi mala quævis gigneret, ille ſaltem hæc ſecum reputet: niſi graviditatis tempore magna colluvies & ſentina quaſi in corpore retineretur, quid poſtea excluſo fœtu, & in lucem edito ex parte opus eſſet purgationes illas prægnantium Lochia dictas fluere, ut ab omni malo recremento libera exiſtat mater, & niſi Lochia illa rite, atque decenti ordine, & copia excernuntur, cur quæſo adeo facile triſtiſſimi, imo funeſtiſſimi affectus ſequuntur? Eas ob cauſas vix crederem aliquem arbitrari poſſe, me ſanguini gravidarum injuriam feciſſe, dum omnia ſymptomata inde redundantia veritatem verborum meorum quam evidentiſſime demonſtrant.

IX.

Porro in cenſum venit cruciatus ille gravidarum Tuſſis, quæ quatenus impurum & acrem ſanguinem, abun-

abundantia ſimul noxam inferentem tanquam cauſam ex parte agnoſcit, optimo jure venæ ſectione tolli poteſt. Quodſi ad mentem & experientiam *Roder. a Caſtro* hunc affectum pertractare licet, utique ſtatuendum erit ſanguinem in illo mittendum eſſe. Ille *de morb. mulier. L. III. cap. XIV.* cum hoc diſcrimine de illo loquitur: *Si a ſanguine, vel albo fluore aſcendente provenit, ſanguinis miſſionem ex communi vena utiliſſimam eſſe ſcio.* Auctor ipſe, qui de morbis mulierum maxima induſtria ſcripſit, & illos accuratiſſime inſpexit, explicationem qua ratione venæ ſectio in Tuſſi hujus generis conducat, ſatis perſpicuam ſuppeditavit. Præſertim ſi ipſam Tuſſis definitionem ſimul conferamus, quæ ex ore *Williſ. Pharmac. Ration. cap. IV. p. m. 38.* deſumpta eſt, & ita ſe habet: *Tuſſis deſcribi poteſt, quod ſit exſpiratio vehemens, crebrior, inæqualis, & ſonora propter cujusdam moleſti, & irritantis ſedationem, aut e pulmonibus per Tracheæ ductus expulſionem excitata.* Inſuper etiam ſi cauſas, ex quibus ſecundum Roder. oritur, conſideremus, quæ ſunt: halitus teter a ſuppreſſis menſibus ſub humorum circuitu in arteriam aſperam, fauces, & pulmones aſcendens, item fluor albus retropulſus, & Metaſtaſin in ſuperiores partes faciens non adeo difficilis labor erit neceſſitatem venæ ſectionis inde deducere. Nam ſi ſublata cauſa etiam tollatur effectus, nullum erit remedium quod promptius citiusque cauſam hujus mali a deperdita maſſa ſanguinea manantis removet, quam quidem venæ ſectio. Nam hac ratione acrimoniæ affluxus inhibetur, & capitis dolores a nimia in tuſſi concuſſione, difficul-

ficultas reſpirandi ab aëre immiſſo, aſperamque arteriam aridam reddente, & tandem vigiliæ a perpetuo tuſſiendi ſtimulo prognatæ, tanquam ſymptomata concomitantia e medio auferantur, & penitus extinguantur.

X.

In tumore pedum, ſi lividus ille appareat, experientia edoctus *Roder. a Caſtro L. III. Sect. II. cap. XVII.* venæ ſectionem celebrandam ſuadet, *ſi lividi tumores*, inquit, *appareant, ſanguinis miſſionem cum felici ſucceſſu inter quartum & ſeptimum menſem exerceri, ſæpius comprobatum eſt.* Ut autem intellectu faciliora omnia evadant; antea explicandum erit, qua ratione gravidarum pedes intumeſcere, & denique venæ ſectione tumor ille œdematoſus diſcuti poſſit. Ad primum momentum quod attinet, utique ſcitu neceſſarium eſt, utero indies creſcente, & internos abdominis partes mole ſua onerante vaſa quoque iliaca non parum affici, ita, ut fluxus & refluxus ſanguinis vix ac ne vix quidem procedere poſſit. Quare ſi circulatio illa impeditur, humores retrofluo aliquo motu ſtagnationem in pedibus ſubeunt, & tumorem œdematoſum conſtituunt. Huic explicationi quadantenus pollicem premit *Thom. Williſ. de medicament. operat. in corpor. humano Part. 2. Sect. 2. cap. 3.* ubi cauſam aquae intercutis in alia corporis parte explicat, & ita ait: *Nam quandoquidem in iſtis locis circulatio præpeditur, ut cruor per arterias revectus, quoquo modo reduci queat, pars ſeroſa e conſortio ejus extruſa in cavitatem decidit.* Experimento quodam ab ipſo facto rem pulcre dilucidat. Nempe

pe ſe in animali venas jugulares ligaſſe memorat, qua ligatura ſanguinis reductionem inhibitam fuiſſe, & poſtmodum totam capitis regionem aqua intercute, & pene hydropica intumuiſſe. Si itaque ſanguinis abundantia accedat, & tranſitum per has vias eo magis impediat; facilis erit ad alterum momentum reſponſio, quia ſanguine tanquam obſtaculo venae ſectione remoto ſerum jam extravaſatum iterum abſorberi, atque tumor ipſe diſcuti poſſit.

XI.

Pari ratione lumborum atque coxendicum dolores a niſu quodam tenſivo ſanguinis, & nervoſas partes in conſenſum rapiente oborti ſedari poſſunt. *Mich. Prax. Clin. Part. I. L. V. de morb. mulier. Tit. XII.* venæ ſectionis uſum commendat, quando a Plethora illi dolores ſint. Verum enimvero quod ſanguis circa illam regionem ſtagnans primaria horum dolorum cauſa dici mereatur, ex obſtructione menſium facile colligi poteſt. Ipſe *Hippocr. de morb. vulgar. L. V. Sect. VII.* ſequentem in modum refert: *Polemarchi uxori articularibus doloribus vexatæ, vehemens quidam coxendicis dolor contigit, cujus cauſa fuere minime profluentes menſes.* Multum omnino immutatur ſtatus atque ſanitas gravidarum, & cum tot ac tantis morbis illis conflictandum eſt, qui vix enumerari poſſunt. Cum autem noſtris temporibus medicamentum nobis datum & longo uſu probatum ſit, quo niſi omnes, quod neutiquam affirmaverim, plerique tamen inſultus morboſi coerceri, frænari, imo extirpari ſolent. Cur timida quadam in-

C ter-

termiſſione noſtro jure non utamur. Miſſio ſanguinis in his doloribus utique laude ſua digna eſt, reſerat obſtructiones, ſanguini exitum concedit, & hoc modo vaſis hucusque nimium dilatatis, & ob id triſtem illum ſenſum cauſantibus tonum ſuum reddit. Idcirco in hoc affectu venæ ſectionem cur non admittam nihil habeo.

XII.

Tandem in enumeratione morborum quorundam, qui in gravidis & frequentiſſimi ſunt, & a ſanguinis multitudine proficiſcuntur, præprimis autem Venæ ſectione curantur, agmen hac vice claudat Alvi fluxus. Sane affectus qui hic enucleandus eſt, primos inter referri meretur. Vires mirum in modum proſternit, & ſi diutius immoretur, ob repetitas dejectiones abortus cauſam adducere poteſt. Hinc illi in tempore occurrendum, ut natalibus probe inveſtigatis, omni remediorum genere ei adverſum ire valeamus. Quando in gravidis ab abundantia ſanguinis bilioſa acredine infecti provenire ſolet, venæ ſectio locum utique invenit. Conſentientem in hac methodo deprehendo *Mich. Prax. Clinic. Part. I. L. V. de morb. mulier. Tit. VII.* ibi expreſſis verbis ait: *Si ſanguis redundet, vena communis incidi debet.* Cum enim nemo inficias ibit ſanguinis conſtitutionem, atque labem etiam cum inteſtinis communicari, & eundem multa bile refertum diſpoſitioni ad alvi fluxum anſam præbere; ſpecioſo verborum apparatu e longinquo illud deducere irritus labor foret. Sufficit jam ſæpius dixiſ-

ſe,

ſe, gravidarum affectus ob ſanguinis quantitatem ejusque qualitatem cum priori tamen conjunctam ortos omnes venæ ſectionem admittere neque Medicum curare oportere quorundam contortulas captiones, & ridiculas quæſtiunculas, quas vice plus ſimplici alto ſupercilio proferunt. Namque id plerumque contradicendi novaque demonſtrandi & exhibendi prüritu fieri ſolet, & ſi tandem ad Praxin ipſam datur aditus tunc demum videre licet, quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

XIII.

Colophonem hoc loco diſſertationi meæ imponerem, niſi quædam adhuc monenda ſupereſſent, quæ ſi ſicco pede præterirem multis ſiniſtrum de me judicium ferendi occaſionem darent. Nimirum cum nullius medicamenti, quod in genere ex Pharmacia depromptum ſit, mentio facta eſt, plerique ſibi perſuadere poſſent, me poſthabitis cæteris rebus tantummodo venæ ſectione tanquam medicamento univerſali his morbis mederi velle. Ut igitur hæc a me aliena ſit ſuſpicio palam profiteor meam mentem id non eſſe, ſed cum vis atque efficacia medicamentorum in ſupra recenſitis morbis illum effectum non tam facile atque commode præſtet, niſi ſanguinis abundantia ſublata ſit: cumque, ſi etiam alias operationes ſuas prompte facerent, hoc ob impeditum per Plethoram ſanguinis circulum, qui neceſſario requiritur, in affectum deducere nequeant; quivis hac ex cauſa hariolabitur venæ ſectionem quidem præcipue com-

commendari, attamen reliqua medicamenta nequaquam poſthaberi oportere. Et ne quidem, ſi ad ſanæ rationis normam me dirigam congruum fuiſſet, morbo cuique formulas certas connectere, quippe quod opus erat a ſcopo meo prorſus alienum. Et ideo ab omnibus veniam impetrabo, quoniam de induſtria aliquid prætermiſi, quod neque propoſiti, neque neceſſitatis neque tituli ratio poſtulabat.

XIV.

Denique ſi alieni fuerint cenſores quibus hoc imprimis non arridebit, quod ſingulos morbos huc ſpectantes non ſpeciali ſtudio tractaverim, ſed potius nullo habito ſelectu atque ordine ex omnibus aliquos ſaltim elegerim illi ultra promiſſum me haud obligent hac autem illis dicta ſunto. Primo mihi non propoſueram diffuſam tractationem de hac re conſcribere, utpote quod res fuiſſet vires meas longe ſuperans, & quod ſpeciatim eruditiſſimi viri, quos inter Dn. D. Præſes multis ſcriptis, ſeorſim in peculiari *diſſertatione*, nec non in ejus *Praxi Univerſali & Jurisprudentiæ Medicæ Tomo I.* (conf. Ejusd. Lexic. Reale P. I. & II. ſuis titulis) de his omnibus jam ante me egerunt. Sed ſpeciminis loco tantum in animum meum induxeram diſſertationem elaborare, cujus limites adeo non exporriguntur, ut in totum morborum campum exſpatiari liceat. Ad alterum quod attinet is quidem ordo, quo affectus illos recenſui, adeo accuratus, & quaſi concatenatus non eſt, ut interpellari non poſſit; tamen quoniam frequentiſſimi & uſitatiſſimi erant morbi iſti, mihi eos elegi, dum imprimis illud quod in Praxi maxime valet, optimum atque ſcitu intellectuque utiliſſimum videtur.

SOLI DEO GLORIA!